

apicem versus divergentes, vix autem sinuati. Rostrum coxas posticas paullulum superans, articulo primo medium xyphi haud attingente. Antennae paullo supra apicem oculorum et ad eorum marginem interiorem insertae, articulo primo apicem clypei haud superante. Pronotum marginibus omnibus rectis vel margine antico medio sub-sinuato subtilissimeque marginato, apice longitudine haud vel vix latiore, disco apicem versus levissime declivi, callis minus discretis. Scutellum basi detectum. Hemelytra completa, membrana bi-areolata. Alae hamo areolae venaque decurrente ex eodem puncto excurrentibus. Xyphus prosterni elongato-triangularis, sat concavus, lateribus acute altius marginatus. Mesosternum postice altius, apice truncatum. Coxae anticae mesosterni medium longe superantes. Tibiae fusco-spinulosae. Tarsi postici articulo tertio secundo longitudine aequali, duobus primis autem simul sumtis distincte brevior, ungviculis sat longis.

1. *Malthacosoma punctipenne* REUT.

Diagnosis: Album vel virescenti-album, supra dense albo-pubescens, hemelytris albis, punctis minutis fuscis dense aequaliter conspersis, femoribus subtus minute fusco-conspersis, tibiis spinulis fuscis e punctis minutis fuscis nascentibus, summo apice articuli tarsorum tertii ungviculisque fuscescentibus; abdomine flavescente vel virescente, mesosterno dilute ochraceo. Long. ♂ $3\frac{3}{4}$ mm.

Hab. in Turkestan (Vartsaminor!, Karakatsuk!), D. FEDTSCHENKO.

Descr.: *Solenoxypho crassicipiti* REUT. colore simillimum, notis genericis supra datis bene distinctum. *Atomophorae albae* REUT. etiam simillimum, structura capituli autem longe diversa, gula distincta, rostro longiore, coxis anticis medium mesosterni longe superantibus, xypho prosterni multo distinctius et altius marginato, pronoto scutelloque inpunctatis, tibiis fusco-spinulosis etc. divergens. Corpus supra album vel virescenti-album, dense longiusque albo-pubescens. Caput dilute virescenti- vel flavescenti-album, unicolor, vertice oculo vix magis quam $\frac{1}{3}$ latiore (♂). Rostrum album, apicem versus testaceum, apice nigro. Antennae albae, articulo secundo crassiusculo, latitudine pronoti postica paullo brevior, duobus ultimis simul sumtis hoc vix longioribus. Pronotum album vel dilute virescenti-album, unicolor, basi longitudine vix duplo latius. Scutellum virescenti- vel flavescenti-album. Hemelytra alba, ubique punctis minutis fuscis dense et aequaliter conspersa; membrana albida, venis croceo-flavis. Pectus et abdomen virescenti vel flavescenti-alba, mesosterno dilute ochraceo vel fuscescente, ventre interdum lateribus et apice maculis fere aurantiacis. Pedes albi, femoribus supra apice parce et minutissime, subtus etiam minutissime sed sat dense fusco-adpersis, tibiis fusco-spinulosis, spinulis versus basin tiliarum e punctis minutis fuscis nascentibus, tarsis summo apice articuli tertii ungviculisque fuscescentibus.